

The Electronic Manipulus florum
www.manipulusflorum.com

Trinitas i
cum fonte primo

Sum proprium diuinitatis est uerbum
quod tempore non mutatur sed semper
adest,

et
ibi aliud sacramentum quod una
sillaba tribus litteris continetur ut sancta
trinitas unus Deus esse doceatur.

Cassiodorus super Psalmum XLIX.

Illud uero
sum, proprium diuinitatis est uerbum,
quod tempore non mutatur, sed semper
adest
atque aeternum manet; sicut Moysi
responsum est *Ego sum qui sum*; et
rursum: *Qui est misit me*. Sed
prescrutandum est cur istud nomen
essentiae solus sibi uindicet *Deus*? Tunc
enim quando dictum est, erant angeli,
erant caelestia, erant terrena omnia, sicut
esse decreta sunt. Sed quia illa sola est
infecta et aeterna natura, nec aliquando
coepit ex tempore et in tribus personis
deitas una subsistit, merito *esse* solus
dicitur *Deus*: quia, ut sit, nullius indiget,
sed semper uirtutis propriae uigore
consistit. Est
ibi et aliud sacramentum, quod una
syllaba tribus litteris continetur, ut sancta
Trinitas unus Deus esse doceatur.

Aurelius Cassiodorus, *Expositio*
Psalmorum, 49, 7 (CCSL 97, M.
Adriaen ed., pp.444-5, ll.176-188).